

V c  
5043











Pietatis Monumentum,  
 SERENISSIMO ac POTENTISSIMO  
 PRINCIPI ac DOMINO  
 DOMINO  
**JOHANNI GEORGIO II.**  
 Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium S. Rom. Im-  
 perii Archi-Mareschallo & Electori, Landgravio Thuringiae, Marchioni  
 Misniae & utriusq; Lusatiae Burggravio Magdeburgensi, Comiti  
 in Marca & Ravensburg, Dynastae  
 in Ravenstein,

Pio Munifico, Felici  
 PATRIAE PATRI

Jussu Academiae VVittenbergensis

A. S.

cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c<sup>o</sup> XXC.

Consecratum



M. FRIDERICO CHRISTIANO BÜCHERO,  
 Schlibensi, Saxon. Elect. Alumno & Or-  
 dinis Philosophici Adjuncto.

VVITTEBERGÆ,  
 Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

JOHANNIGEORGIO III

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium S. Rom.  
Imperii Archi-Mareschallo & Electori, Landgravio  
Thuringiae, Marchioni Misniae & utriusq;  
Lusatiae, Buggravio Magdeburgensi,  
Comiti Hennebergico, nec non  
Marcae, Ravensburgi & Barby,  
Dynastæ in Raven-  
stein,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Hoc pietatis monumentum

*humillimè dicat*

M. Fridericus Christianus Bücher





**S**I quis ex hoc loco prospectum undique  
circumferat, sequi vertat in omnem par-  
tem, haud scio, an oculis suis auribusque  
fidem habeat, & se in conspectu Vestro,  
Patres Conscripti, atque in hoc celeberrimo sapien-  
tiae domicilio versari credat? Usque adeo vasta, incul-  
ta, relicta omnia, & nec famae respondere nec pri-  
stinae dignitati videntur. Ora Vestra in terram de-  
jecta, demissi oculi, vultus admiratione defixi, vel me-  
tuentium habitus sunt vel lugentium, non Musarum,  
quibus Veteres porrectam frontem, hilarem fa-  
ciem, manus plaudentes, & alia non nisi laetitiae ar-  
gumenta tribuebant. Quis autem se credat apud  
illos esse, qui nec apud se ipsos videntur esse, quis in  
Academia, quis in celebritate versari, ubi poenae so-  
litudinem reperit? Ignoscite dolori meo, P. A.  
quod nec ea in Vobis dissimulet, quae alto pecto-  
re premunt ipsi sapientes, etiam in adversis spem  
vultu simulare docti. Majora sunt, quae patimur,  
quam ut patientiae leges accipiant: plura sunt,  
quam ut in his fortitudo colligere sese, & constan-  
tia sibi constare possit. Bellorum metus in arctum  
coegerat copias nostras: eo vix depulso medio-  
cris facta accessio. Nunc pestis ingruit &, im-  
minentis periculi formido, parum abest, quin fe-

A

cerit

III  
Rom  
ravic  
;

m

cher



cerit vastitatem. Satis hæc malorum erant, sed of-  
fenso Numini satis non erant, Adhuc privatas  
domos concussit ruina: nunc & regnatrices cecide-  
returres. Cecidit eheu! cecidit Optimus Princeps,  
**JOHANNES GEORGIUS II.** Germaniæ Pro-  
pugnaculū, Saxoniam unimentū, Academiae præ-  
sidium! Qvis talia intuendo sibi temperet à metu?  
In propriō periculō nimia sistat trepidatio, & do-  
mesticæ jacturæ dolor cedat publicæ incolumita-  
ti. At in communi omnium discrimine non com-  
moveri, & quod totam Patriam ferit, irati Numinis  
fulmen adversō & paratō pectore excipere, nec  
hominis, nec sapientis est. Et quis Patriæ Pa-  
tris mortem æquo ferat animo? Quem ama-  
bant universi, quod singulis esset præsidio,  
quid ni eum exoptent singuli, qui suo discessu  
destituit universos? Lugent imperii Proveres,  
mæret Germania, tota Saxonia confecta do-  
lore est, squalent agri, afflictantur oppida, omnes  
deniq; tam mansuetum Patrem, tam salutarem pa-  
cis ac libertatis Vindicem, tam felicem Principem  
desiderant, An fileat Academia, & sine luctu trans-  
mittat Ejus obitum, qui semper bonarum artium  
patrocinium suscepit, securitatem asseruit, fortu-  
nas tutatus est & auxit?

Verum enim verò dum hæc beneficia Prin-  
cipis reputo mecum, nescio, quæ nova spes  
erigat



erigat animum. An quod eorum meminisse dul-  
cescit, qui nobis benefaciunt; an verò quod amissæ  
felicitationis recordatio spem faciat rediturae? DEus  
est, A. O. DEus est periculorum & discriminum  
comes, eòq; propitiò futurum speramus, ut me-  
moria & beneficia indulgentissimi Principis, qui-  
bus sapientiæ ac literarũ studia cumulatè ornavit,  
aliquando resarciant, quam fecimus jacturam; &  
Vos Academiae & Academiam Vobis reddant,  
Quare cum in Ejus Honorem jussu atq; auctoritate  
Vestrâ habendam mihi oratio sit, illud eqvidem pal-  
marium puto, tot maximorum in liberales artes &  
hanc imprimis Academiam meritorum celebra-  
re memoriam, & aliquã vicem reddere Pio, Muni-  
fico, Felicissimoq; Principi, eã tamen lege atq; omi-  
ne, uti nec Vestrae omnium expectationi, nec meo  
officio me intelligam esse facturum satis. Fateor  
enim ingenuè, me obsequendi studiò abreptum,  
oneris, quod mihi passus sum imponi, non ante sen-  
sisse molem, quàm mutare consilium integrum  
non erat. Dicendum est de meritis Optimi Maxi-  
miq; Principis. At DEum immortalem! quantò  
ingeniò opus est, ut de Optimò benè, & de Maxi-  
mò dignè loquaris; aut si qua mihi esset dicendi co-  
pia & facultas, hæc ipsius etiam Principis foret be-  
neficium. Dicendum est apud Vos, Sapientissimi  
Patres, à quibus quia didici merita æstimare, quic-



quid in eorum laudem afferri potest, id omne Vos  
rectius cogitando potestis, quam ego dicendo as-  
sequi. Nihilominus, quod aliis metum ac pudore-  
rem, mihi spem animumque; addit, ut quod ab orati-  
one mea expectandum foret, situm esse in Vobis  
credam, si munificentissimi Principis recorda-  
tio Vos mihi attentos, auctoritas Vestra benevo-  
los reddat. Cæterum satis habeo Illi pietatem, Vo-  
bis obsequium, aliis exemplum præbuisse & incita-  
mentum, ut ubi meum deficiat officium, suo inge-  
nio & favore studeant emendare.

Et si quælibet in Principe virtus divinum aliquid  
& cæleste habeat, tamen beneficentia imprimis  
præstat, in quo se tollat excelsus animus, ipsique ad-  
jungat Deo. Is enim cum Optimus juxta & Maxi-  
mus sit, vim tamen suam in aliis extra se rebus bene-  
ficiò experiri, & magnitudinem benignitate metiri  
voluit. Numinis instar homo est, & naturam pro-  
pensus ad liberalitatem, sed ad ejus vicem eò pro-  
pius accedunt Principes, quò magnificentius est, uni-  
versis, quam singulis præstare operam: & cum nemi-  
ni obligati sint, se omnibus beneficiò, & omnes sibi  
obsequiò devincire. Optimus Princeps JOHAN-  
NES GEORGIUS SECUNDUS, cum pruden-  
tiâ, sanctitate, justitiâ & iis rebus omnibus, quæ Prin-  
cipum laudes cælo & sideribus æquant, nulli majo-  
rum cesit, nisi quòd diversa fortuna hujus virtutes  
jucun-



jucundiores, illorum clariores fererit; tùm verò liberalitate & beneficiâ sui seculi Proceres facile superavit. Hac admirationem apud exteros, amorem apud suos & quod utrôq; pulchrius, id præterea consecutus est, ut hi affectum colerent, illi fructu & splendore caperentur. Quâ tamen auctoritate dici non potest, quàm sit moderatè ac scienter usus, famæ suæ nec incuriosus, nec venditator, ut qui ad Dei gloriam & Patriæ salutem referebat omnia. Sursum erecta mens eum suspiciebat, à quo haberet, quod beneficeret, ut Eum imitaretur, cujus vicem fungeretur: deorsum tulit oculos, ut & hominem se esse meminerit, & quicquid in se supra hominis fortunam esset, id omne miseris deberi, & aliorum saluti. De pietate adversus Deum alibi copiosius dictum, nec pium est, maximas laudes ingenii culpâ deterrere. Aut si quis esset in dicendo tam divinus homo, qui suò quodam jure id sibi sumeret, ut in hac parte proveheretur longius, næ is vereor, ne Vestræ, A.O. prudentiæ vel pietati subdiffidere videatur. Et si omnes tacerent, vel hæc cathedra, hæc subselliamultò disertius loqveretur, quàm ut infantia hujus assequatur garrula disciplina. Veruntamen hic mihi temperare non potui, quin recitarẽ denuo infigne illud pietatis erga Deum & ex eâ profecti erga literas amoris documentum, quòd

B

sacra-



sacratissimi Verbi Codex auctoritate Ejus & sum-  
ptu non mediocri recens editus exemplò cōmen-  
dat prorsus inusitatò. Neq; vereor, ne Vobis tædiū  
afferat subinde iterata ejus mentio. Uti enim aro-  
mata, si crebrius perfricentur, plus odoris afflant,  
ita existimo gratiorem fieri, quæ sæpius refricatur,  
excelsæ virtutis memoriam. Atq; in illo mirabili  
opere haud quidem mirari juvat faberrimæ artis  
celaturas, in quibus res à sanctissimis Heroibus ge-  
stas veluti coràm intueri datur. Quamquam enim  
his etiam non desit, quod obtutum defigat, ani-  
mumq; advertat, & à pictura imaginibusq; ad rem  
ipsam & veritatē transducatur; tamen quod illustris-  
sima Ipsius Principis manus accessit Operi sacratis-  
simo perficiundo, & Patriarcharū, Regum, Princi-  
pum, Deoq; dilectissimorū hominū Vita spiā præ-  
fatione attextuit, id verò omni admiratione majus  
est, & Apellistabulam & marmora vincit Lysippi.  
Nam si ab his fingi potissimum & pingi voluit Ma-  
gnus ille Macedonum Rex, quod haud vanè arbi-  
trabatur, tantò plus admirationis se habiturum a-  
pud posteros, quantò præstabilior in suis virtuti-  
bus effingendis horum artificum futura esset ope-  
ra; crediderim profectò, cælestes animos, quorum  
memoriam Serenissimus Scriptor concinnæ man-  
davit historiæ, immortaliter gaudere, ac delectari  
Principis pietate, Deoq; plenâ manu ferre laudes  
&



& gratias, quòd inclinatójã & labente mundo, tanti Heröis excitaverit studium, qui laudem virtutum suarum propè fenescentem ab oblivione hominum vindicaret. Quid hac ingenti gloriã excellentius, quid in omni genere laudis pulchrius cogitari potest? Sapientes eqvidem in iis non ferunt scribendi cacoëthes, quibus sceptrum Deus, non calamum tradidit, & quos regendis, non erudiendis hominibus præfecit. Vanæ gloriæ cupidus & eo nomine à Luthero graviter culpatus est Rex Angliæ, cætera doctissimus, qui malebat scriptis turbare religionem, quàm imperio pacare regionem, falsum vindicare, quàm bonũ publicum asserere, calamum adversus Deum, quàm arma contra intestinum hostem sumere. Noster autem quàm longè abfuit ab ista vanitate? Optimum non minus, quàm sapientem sese præbere Principem volebat, qui non ex eruditione, sed etiam virtute, non ex scientia, sed pietate, non ex sola rerum prudenter gestarũ, quas describeret, contemplatione, sed actione ipsa æstimaretur. Scripsit de sanctorum factis, ut ea magis expeditã imitatione exprimeret; & feliciter expresfit, ut aliis scribendi materia & laudis exemplum esset. Habet hoc emolumentum diligens scribendi studium, ut serias cogitationes altiùs infigat animo, intellectum rerum pulchritudine teneat, memoriam firmet, ejusq; fideli opera voluntatem ex-



excitet ut quod mente concepimus, factô ipso gestiat experiri. Id quod ita planè arbitror usû venisse Illustrissimo Scriptori, eoq; consiliô in senectute susceptum hoc negotium esse, ut langvescentes animi vires ad pietatē redintegraret reficeretq; recodatione sanctissimorū exemplorū. Cùm enim hæc identidem relegeret, necesse erat nunc Ejus animo occurrere sapientem Ægypti pro regem, qui inter primas imperii curas habuit, colere & propagare sapientiæ studia, idq; tam felici perfecit successu, ut ex Ægyptô velut ex eqvô Trojanô mitteretur, qui totâ Italiâ Græciâq; habiti sunt sapientiæ parentes. Jam ante oculos animūq; versabatur Davidis imago, qui bonis artibus docendis magisteria ordinatim distribuit, & futurum regni hæredem, ut moribus Principe dignis sedulo fingeretur, sacerdotibus tradidit in disciplinam. Nunc juvabat meminisse Babylonii Regis, qui Ebræis discipulis ex ipso regio dimenso præbuit alimenta. Nunc curam injiciebat pietas Nehemiæ ac Esræ, qui ob connubia cum Gentibus contracta vehementer metuebant, ne quid inde detrimenti vera caperet religio. Sanè quidem cum in eam historiam incidit illustrissimus Scriptor, sine dubio animum Illius subiit imago superiorum temporum, cum Calviniana secta nobiscum non matrimoniorum sed religionis coire societatem, coagmentare pacem, conglutinare con-



concordiam immane quantum laboraret? Quis  
Eum putet sine singulari consilio & instinctu Divi-  
no in eam curam venisse, ut ad scribendum appel-  
leret animum, circa eandem exacti seculi ætatem,  
qva Doctores nostri ut hostibus veritatis renunci-  
arent amicitiam de aureolo Concordiæ libro con-  
silia inierunt. Quid sibi voluit renovata sacri Co-  
dicis editio, nisi ut confirmaret eos, qvi nullas ab  
hostibus veritatis oblatae pacis conditiones accipi-  
unt, nisi qvas ipse DEus in Verbo suo præscripsit?  
Enimverò pacifici non sunt, qvi ut paci consulant  
in civitate, bellū indicunt veritati, & adversus Deū  
odia sulcipiunt, ut malè facta inter homines coëat  
amicitia. Ea demum firma pax est, contra errores  
& vitia æternū & implacabile bellum gerere. Hæc  
erat Principis nostri constantissima voluntas, qvā  
morte sua & divinis testamentis veluti obsignavit:  
huc spectabant ejus beneficia, ut cultus Divini san-  
ctitates in dies existerent majores & meliores, &  
vera religio, pro qva sancti illi homines, suiq; Ma-  
jores non veriti sunt vitam sanguinemq; profun-  
dere, facta & tecta, ut ajunt, & ab omni errore sin-  
cera integraq; conservaretur.

Verum nec minus in remp. pius & pro-  
pensus erat. Gnarus enim permagnò civita-  
ti constare Principes; summam dabat ope-  
ram, ut suas perinde curas reip. vectigales, &  
imperium majus esse, qvām patrimonium; qvi verò

C

tri-



tributa solverent, non suis compendiis tantum  
sed omnium servire necessitatibus, nec plus impen-  
sæ facere, quam usuræ, cives sui cognosce-  
rent. Principum thesaurus veluti vastissimum  
mare est, quod omnia flumina ingenti aquarum  
molerecipit, sed tenui quidem fonte occultisq; na-  
turæ vestigiis reddit; mox tamen in altissima litto-  
ra exonerat. Sic beneficia Principum ex immensis  
reip. sumptibus hauriuntur, & primâ quidem spe-  
cie ad oppidò paucos redire visa, nihilo minus in  
remp. longè lateq; ab iis diffunduntur, utpote quo-  
rum prudentiâ, consiliò & labore fit, ut universis  
impertiantur, quorum fructum singuli percipiunt.  
Liberales artes & studia sapientiæ rivi sunt, quibus  
setotos, & quicquid habent, Principes profundunt  
in civitatem. Hæc sunt felicitatis publicæ fontes,  
& rerum omnium, quibus in civitate opus est, sca-  
turigo. Ab his in rebus prosperis, ne per earum af-  
fluentiam res publ. diffluat, & in adversis, ne mer-  
gatur, consilia petuntur. Hæc templis sanctitatem,  
foro justitiam, & suæ cuiq; domi asserunt securita-  
tem. Hæc pacem legibus armant, & bellum pacis  
artibus justitiâq; componunt. Quæ Noster cum  
omninò ac planè intelligeret, ut erat circumspectis-  
simus & cordatus Princeps, nihil prius, nihil anti-  
quius habuit, quam iis prospicere, quorum provi-  
dentiâ sibi opus esset; quam iis prodesse, qui ut in  
publi.



publicum prodesſent, maximos labores & ſe ipſos  
infumerent; quàm eorum fortunæ & neceſſitati-  
bus occuſare, ſine quibus ſalva eſſe reſp. nequirit.  
Atq; hæc ratio ſemper apud Ipſum valuit contra in-  
vidiam vulgi & calumnias imperitorū, qui tamen  
ſuo plerumq; experiuntur malô, ſibi ipſis maximæ  
futuros invidiæ, qui optimis artibus invidiam con-  
flare; & ſuæ blandiri ſtultitiæ, qui ut melioribus  
præmia intervertant, eos criminari in occulto ſo-  
lent ad falſa parati laudatores. Quicquid ſit hujus  
rei, bonas literas curare, fovere, tegere, ea demum  
principalis cura, hæc ſceptro & diademate digna  
gloria eſt, ringantur licet imperiti, rumpatur invi-  
di. Procul hinc faceſſat Licinii efferata & bono ci-  
ve, quid dicam Principe? indigna vox, peſtem reip.  
literas eſſe, quæ, Doctõribus ad lucrum, nemini ad  
virtutem profuerint. Faceſſat Muhammedanabar-  
baries quæ, ne deliria ſuæ ſuperſtitionis pateât me-  
liora doctis, ne bona libertatis intelligant miſeri,  
omnes artium diſciplinæ procul è finibus regni  
exulare juſſit. Faceſſant Neronis aſtus, qui literas  
magnifici, ut ex iis decipere, perdere, trucidare  
diſceret, qui magiſtrum ſuum immenſo ſtipendiõ  
affecit, ut ejus doctriinâ ſuõq; ingeniõ in perniciem  
reip. uteretur: ſed ſuõ demum intellexit periculõ,  
ſapientiam tam iis, qui eam contemnunt, quàm  
qui eam peſſimõ abuſu in odium & contemtionem



dabunt, exitio fuisse. Noster ab sese longissime detestabatur hos mores. Literas in deliciis ac honore habuit, ut ex iis disceret rectè honorare Eū, à quo ipse, ut ab omnibus honoraretur in illustri positus esset. Sapientiam amavit, ut à Sapientibus amaretur, & tanti fieri ab iis voluit, quanti eos ipse fecerit. Litteratis stipendia decrevit, ut eos reip: & se utrisq; obligaret. Pietas nimirum versabat celsam animam, sine qua liberalitas aut prodiga, aut sterilis & infructuosa est. Pietatē coluit, ne beneficia malè collocaret, & benignè fecit benè meritis, ut pietatem Deo & patriæ probaret.

Intelligitis opinor, A. O. ex quo fonte & quo seminariò fructum inexhaustæ beneficentiæ à suo Principe retulerit Patria & hæc imprimis Urbs, hæc Academia, quæ Ipsi ullò locus non fuit in omni provincia dulcior, quòd ea cæteris omnibus antecellit divinitus assertæ religionis gloriâ. Solent Reges Principesq; urbi, quæ incunabula præbuit, perpetuam nascendi largiri sortem, & in qua ipsi adoleverint, continuis augere incrementis. Et quid etiam Dresda, imperii ac gloriæ domicilium, urbs & situ & descriptione ædificiorum & pulchritudine imprimis nobilis, quid quæso nō habet, quo certare possit cum copiosissimis ornatisq; Germaniæ urbibus? Nec immeritò eam magnificavit Noster, quod in eâ natus esset: At nec omisit hanc



hanc urbem, ex qua habuit, quod senatum esse non pæniteret. Ibi juvabat intueri mirificis moli- bus excitatas aedes; hîc pulcherrimè coagmentata, quibus res sacra nititur, fundamenta: ibi statuarum colossos, hîc reip. columnas: Ibi regias gazas, hîc sapientiæ thesauros; ibi mæniū ærata robora, hic Dei munimenta. Illic imprimis oculos, hîc animum pascebat, sæpe testatum faciens, garrulis gratulantiū Musarum vocibus plus delectari se, quàm sumptuoso apparatu deliciarum, quæ simul subductæ oculis sunt, evanescent. Hinc crebræ itiones ad nos, & diutinæ mansiones, nec unquam à nobis abiit, quin majus desiderium & sui relinqueret, & nostri secum auferret; nec unquam rediit, quin ad fuisse nobis expediret. Quippe haud minor esse Scipione Africanô voluit, qui cum quotidie prodiret in publicum, non antè fertur se domum recepisse, quàm alicui beneficium præstitisset. Et quo gaudiô non ita pridem, qua gratulatione exceptus est, cum Vos Hospites P. A. non dedignaretur, incertumq; faceret, utrum potior causa fuisset sibi de Vobis con- vivis, an Vobis de Ipso, at quanto Hospite! gratulan- di? Fortè circumspētabat ibi facies Majorum suorum, & Serenissimos oculos magni Succes- foris in sese convertēbat, nunc FRIDERICUS, qui Academiam inchoavit, nunc JOHANNES, qui conservavit, nunc JOHANNES FRIDERICUS, D qui



fundavit, mox MAURITIUS, qui instauravit, AUGUSTUS, qui amplificavit, CHRISTIANI, qui sustentarunt, nunc celsissimæ memoriæ PATER, qui ab interitu vindicavit; & ad pristinam gloriam revocavit. Tum verò vix sese capere pietas, tentare animum, urgere, instare, permovere, usq; dum prorumperet foràs, co siliumq; daret stipendium Academiae Patribus amplificandi accessione non mediocri, eoq; beneficio, quo gloriosissimos Majores non modò exæqvavit facilè, verum etiam superavit. Illi enim ferè de prædiis Monachorum, illis Ægypti spoliis Academiae prospexerūt, Hic de suo ærario paratissimoq; thesauro largitus est. Illi stipendia decreverunt, ut alerentur artes; Hic auxit, ut ornarentur. Perpetuū quidem & Ipsi cum aliis commune erat, prodesse omnibus; at de doctis benè mereri, hoc Ipsi proprium, hoc eximium erat. Cum incredibilis in eo benignitas esset, multis largitus est, quotidianò pænè convitiò fatigatus; pluribus, cùm nihil essent meriti, ut eos prius rogasse, quàm se benefecisse pæniteret, & exemplò suò ad benè merendum incitaret. Hic autem vota omnium anticipavit, expectationem vicit, & incertum erat, utrū magis expedire sibi arbitratus sit, Vobis, Patres Cōscripti, debere an præstitisse? Illud humani generis deliciū Titus Vespasianus, cum sine beneficio diem  
trans-



transegisset cum Amicis, se diem perdidisse aiebat.  
O felicem diem! quem Noster cum Amicis hilarè  
sumpsit, & beneficiò insignem fecit, quod in pluri-  
mos annos & longè venturam duraret ætatem. O  
felicem Principem, qui sumptibus suis spem poste-  
ritatis suscepit erudiendæ! Non enim est ullum  
beneficium principali fastigio dignius; quàm quod  
erogatur in posteros. An verò restrictior ad largi-  
endum discentibus fuit? Certè quidem fieri non  
potest, quin omnium beneficiorum, quæ bene me-  
rentibus tribuuntur, si non fructus, spes saltem gau-  
diumq; ad similes redundet. Imò nec fructu eorum  
carere possunt, propter quos collata sunt. Annon  
videtis, Commilitones dilecti, nubes, quas ex O-  
ceano hauserunt, magna fæcunditate in terram re-  
fundere aqvas, & quam à Sole Luna fæneratur, lu-  
cis hujus usuram eripere nemini? Si quis benefi-  
corum se queratur ex parte, id per se ipsum stetisse  
sciat. Ecquid de iis dicam, qui communi Acade-  
miæ mensâ fruuntur, quorum immunitates tam  
difficili tempore, ubi ampliùs cænare obolò non  
licet, non modò conservavit indulgentissimò Prin-  
ceps, verum etiam, si vita mansisset, aucturum se re-  
cepit. Quis tanti beneficii aditu hic prohibetur,  
etiamsi ab extremis huc deferatur Indis? Ite per to-  
tius Germaniæ Academies, videte, quærite, cir-  
cumspicite. Unicuiq; certo plerumq; numero cir-  
cum-



cumscripta est, nec Patriæ fines excedit benignitas. Saxonum Patrem & Hunnus adorat, & Sarmata veneratur, & quoscunq; inde usq; ab Hercyniæ finibus huc egit divinæ veritatis amor. Tum verò quanta vis exulum, quos brutum Vejovis Tarpeii fulmen patriâ exegit, ad Saxoniam velut communem afflictorum patriam confluxit. Ferè cum ipsa gente in desuetudinem abiit vetus adagium, quo Mysorū ultimi dicebantur, qui erant, ut Florus ait, barbarorum barbari, & ad quos navigare iussi, qui ultimum supplicium meriti. Si hoc gentis nostræ, cui mutatis moribus id nominis hæsit, immortalis gloriæ datū, ut Mysorum primi nominò appellentur proverbio, apud quos omnibus commune patet hospitium. Nec Vos mihi silendi estis, Commilitones, quos hic stipendia Principis alunt. Enimverò absq; hoc beneficio esset, quod ut quisq; Vestrum tot maximis laboribus ad laudem gloriamq; contenderet? Quis non sisteret in carcere, tantum abest, ut metam contingere niteretur? Quæ ego dum gratâ menterecolo, cor mihi cumulatur lætitiâ, & tantâ obruor dicendi copiâ, ut nesciam, quod initium sit habitura, quem exitum oratio. Quatamen cum facilè intelligam, tantum exæquari non posse beneficium, sacro silentio venerabor merita, quia meo officio satius est, quàm summis laudibus Maximi Principis aliquid de-



itas. defuisse. Agite autem, Commilitones optimi,  
nata mecum incumbite in hanc curam, ut suis quisq; be-  
iæ fi- neficiis, & eorum operâ utatur, qui tantâ sui Prin-  
n ve- cipis atq; Nutritii liberalitate aucti, uti ejus fructû  
Tar- nobis impertiri cupiunt, ita suô exemplô ad laudes  
com- gratiasq; nos exhortantur. Novum est, at jucundû  
Fere gratias agendi genus, cui omnia debeamus, eidem  
s ad- velle plurima debere. Nimirum hos suæ benificen-  
rant, tiæ fructus consecutus est Optimus Princeps, vivus  
s na- adhuc vidensq;, ut intelligeret, ea se apud gratos  
hoc memoresq; posuisse.

Quid autem optabilius esse potest, quam  
de bene meritis benemereri? Quod si fe-  
licitas vis quædam est amoris ac benevolentia  
Divinæ, quæ perpetuò comitatur actus & consilia  
Deum pure mente colentium, quis omnium dubi-  
cipis tet, quin & suis beneficiis, quæ per pientissimum  
otus- Principem præstitit, gratiosè faverit immor-  
idem tale Numen. Unde enim tanta eruditorum nubes,  
arce- quæ Saxoniam propemodùm inundat, nisi ex hoc  
etur? ingenti beneficiorum oceano hausta? Evolvite  
ni cu- Annales Vestros, P.A. & septingentos pluresve  
iâ, ut numerabitis, quibus imperante JOHANNE GE-  
itum ORGIO II. summos honores contulistis. Quan-  
ntum do Vos ipsos longa serie sedentes intueor, totidem  
entiô mihi videre videor sidera à Sole Patriæ nostræ col-  
s est, lustrata, tot mundi lumina, quot scripta vestra.  
iquid Pellere errorum tenebras, mentibus præferre lu-  
de- E cem,



cem, hostium veritatis præstringere oculos, totum orbē illustrare famâ & meritis, propria Vobis laus; at maximus honor est, quocunq; jaciatis radios, ibi & Solis Vestri illuxisse gloriam. Quid? cum Ipse latus suum cingentes & ad nutū circumquaq; stantes cerneret tot generosissimos Heroas, quos in sinu suo Academia nostra finxit & formavit, fulcra illa reip. FRISIOS, GERSDORFIOSQVE, & si quod aliud est illustre Nomen; obsecro Vos, Auditores, quæ mens fuerit Patriæ Patri, qui sensus, qui oculi, quis ardor animi, quid cogitarit, quid optarit, quæ gaudia, quas gratulationes piô conceperit pectore, quæ vota & gratias Deo optimo & maximo allegarit? Hi siquidem consilio & manu fortes, uti remp. felicissimè regunt, ita præsertim nobis asseruere pacē, pacē, quæ nihil est ad studia honestatis excolenda in omni vita salutarius. Recogitate quæso, A. O. & vobiscum commentamini pericula & calamitates, quibus in viciniâ liberales artes involvit bellorum furor. Inter arma silent leges, conticescunt suavissimæ Musarum voces, nec cum viris solùm, sed cum honestate ipsa, cum religione, cum veritate bellum geritur. At nobis, A. nobis hæc Deus otia fecit, nobis liquit ab omni periculo metuq; esse securis, & umbrâ Saxonicae rutæ tectus Helicon noster viguit floruitq; ut in eo doctrinæ & virtutes altissimas agerent radices. Quàm visu, quàm auditu jucun-

cun-



dum fuit, semitas urbis hujus fervere discentium stu-  
diō, eosq; more modoq; apud per omnis erudi-  
tionis florentissima tempe ultro citroq; vagari, &  
suavisissimis virtutibus implere generosa pectora,  
nunc circumlimpidissimos Israëlites fontes certa-  
tim confidere, nunc ad abditos Justiniani recessus  
hærere, nunc in spaciosis Galeni campis salu-  
berrimos colligere succos, nunc per Aristotelis mel-  
litisfimiq; Platonis hortos depascere flores, nunc &  
gustare dulcissimos Aonidum fructus; deniq; au-  
ditoria omnia gratisimo murmure ac susurro di-  
sputantium personare. Hic sua religioni sanctitas,  
sua legibus auctoritas, sua pulcherrimis rerum sci-  
entiis veritas, sua literis eruditissimis gratia consti-  
tit & venustas, nec quicquā ad summā defuit discē-  
di cupidissimis. Mitto collegia omnium ordinum  
benè constituta, sæpè revisa, pristinae disciplinae ac  
dignitati restituta. Hujus universae felicitatis uti  
magnam partem sibi vindicat hæc Academia, ita  
facile intelligitis, tanta hæc esse & talia bona, ut co-  
piosum Fabium de lassare valeant. Mihi, ne vestra  
benignitate abutar, ad finem properandum est. De-  
stinarat felicissimus Principum, quam Torgæ re-  
novare cæperat, revocatae in Ecclesiam concor-  
diae, hic solenni ritu ac cerimonia celebrare me-  
moria & sic felicitati suae ultimum imponere Colo-  
phonem. Sed ecce mors obrepit interim, & ple-



niorem gaudii fructum vis manusq; major deflo-  
rat. O durum fatum! Eheu! quò subito jam  
prolapsæ sunt spes nostræ? Qui benefacere non  
desiit, esse desiit! Vixit, qui ut semper viveret, di-  
gnus erat. Cui de nostris annis optabamus adde-  
re, obitu suo fecit, ut & quod reliquum vitæ est, in-  
visum nobis & insuave putemus. Optime Prin-  
ceps! Ideone tantæ pietatis moliebaris opus, ut  
non perficeres? Ideone nobis fecisti bene, ut  
Te amisso, tanto pejus esset? Ideone nos reddidisti  
felices, ut præteritæ felicitatis tantò acerbius sit de-  
siderium? Eheu! quàm metuimus, ne Tecum pax  
& concordia. Sed reprimo me, ne videar male  
ominatis verbis exasperare luctum. Nimiùm do-  
lere piorum obitus, invidiæ non amoris est. Cur  
enim nolimus illi melius esse, quàm nobis, qui nobis  
sæpè, quàm sibi maluit. Cur ægrè feramus illi à  
Deo bene fieri, quem Divina bonitas, ut nobis be-  
ne faceret, clementer indulgit. Nec moritur Prin-  
ceps apud eos, quibus sui reliquit desiderium, &  
qui omnibus est desiderandus, quod in Hærede  
prospexerit, ne desideraretur. Videor mi-  
hi jam videre apertos cælos, & augustâ  
facie renidentem Beatissimum Principem, cæle-  
stiumq; animorum comitatu stipatū adstare æter-  
no Numini, & cum sibi gratulari, tum pro salute  
Patriæ, quam reliquit, ardentissimè precari. Nec  
mora,



mora, pax & justitia coire in fœdera, jungere dex-  
tras, in precibus ac gratulationibus sese mutuò am-  
plecti, osculari, atq; his vocibus mihi visæ implere  
cælum: Advertite animum, Cives, pellite metum.  
DEus Vos amat, nec patietur, spe beneficiorum  
suorum in irritum redacta, frustrari sui amantes.  
Satis iræ neciq; datum. Posthæc in gratiam vobis  
cum redibit gratia, vitæq; & cura salutis erit. Hæc  
nubila qui rumpet, gratior it dies, & quæ exortu  
suo tenebras dissipabit, ac vigorem attonitis red-  
det, lux nitet amænior. Sol occasus adhuc in fide-  
ribus micat, & Princeps, quem acerbè lugetis, in Il-  
lustrissimo Hærede vivit. Hic res instaurabit ru-  
entes, restituet collapsas, reddet amissas. Hoc Sta-  
tore tempora in priscum aurum reditura, Vobis re-  
ducent FRIDERICORUM sapientiam, MAURITIORUM  
magnanimitatem, AUGUSTORUM felicitatem. Sur-  
gunt in spem tantam Avitæ gloriæ æmula Proles,  
juventutis Principes, & saluberrima consilia mi-  
scebit Regia mater, Daniæ Pallas, Saxonæ Mi-  
nerva. Religio & pietas, justitia & leges & o-  
mnes etiam bonæ artes, quicquid spei habent, in  
Horum tutela, præsidio ac favore repositum ha-  
bent. Favet iis, ne dubitate, æternus rerum Ar-  
biter, qui vos voluit succedere pientissimo Prin-  
cipi, non minùs in imperii mittet, quam pietatis  
F æq;


eflo-  
jam  
non  
t, di-  
dde-  
t, in-  
Prin-  
s, ut  
e, ut  
idisti  
it de-  
pax  
male  
do-  
Cur  
nobis  
s illi à  
is be-  
Prin-  
n, &  
erede  
r mi-  
gustâ  
cæle-  
æter-  
salute  
Nec  
mora,



FK 9c 5043

æq; ac felicitatis Paternæ hæreditatem. Hæc sunt A.O. cælestia omina, & divina præfagia, de quibus eò minus dubitare possumus, quò certi- ores exemplo nostro facti sumus, DEI hanc le- gematq; fatum esse, ut quæ experti mala & peri- cula sumus, grata vicissitudine mutet. Nos de- niq; vota nostra jungimus, supplices ad cæ- lum tendentes manus: Vivat JOHANNES GEORGIUS III. & qui nomine Tertius audit, nec AVO pietate secundus & PATRI munifico par, Utrumq; felicitate ter & amplius vincat.

D I X I.



ULB Halle 3  
001 581 929  


h.c.



Hæc  
a, de  
erti  
c le  
peri  
sde  
cæ  
NES  
ndit,  
I

WAT









A. 3, 54

Vc  
5043



Pietatis Monumentum,

SERENISS  
PR

NTISSIMO  
NO

JOHAN

RGIO II.

Duci Saxoniae, J  
perii Archi-Marescha  
Misniae & utriusq  
in

ntium S. Rom. Im-  
Thuringiae, Marchioni  
deburgensi, Comiti  
nastae

Pi

Felici

gensis



M. FRIDE  
Sch

NO BÜCHERO,  
no & Or-  
cto.



VVITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.